

Fin. II. 2. Quaerimus finem bonorum. Possumus ne scire, hoc quale sit, nisi contulerimus inter nos, quum finem bonorum dixerimus, quid finis, quid etiam sit ipsum bonum? Atqui haec patefactio quasi rerum opertarum, quum, quid quidque sit, aperitur, definitio est: qua tu etiam imprudens utebare nonnunquam. Nam hunc ipsum sive finem sive extremum, sive ultimum definiebas, id esse, quo omnia, quae recte fierent, referrentur, neque id ipsum usquam referretur.

Fin. V. 6. Facit Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit. Hoc enim constituto, in philosophia constituta sunt omnia. Nam ceteris in rebus sive praetermissum, sive ignoratum est quippiam, non plus incommodi est, quam quanti quaeque earum rerum est, in quibus neglectum est aliquid. Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, quum intelligitur, quod sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitae via est, conformatioque omnium officiorum.

Fin V. 13. Ea vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus: in eoque summum bonum poni necesse est, quandoquidem id tale esse debet, ut rerum expetendarum sit extremum.

Fin V. 6. 7. 8. Totius quaestionis ejus, quae habetur de finibus bonorum et malorum, quum quaeritur, in his quid sit extremum, quid ultimum, fons reperiendus est, in quo sint prima invitamenta naturae. Quo invento, omnis ab eo, quasi capite, de summo bono et malo disputatio ducitur.

Voluptatis alii primum appetitum putant, et primam depulsionem doloris: alii censent primum ascitum, non dolere, et primum declinatum, do'orem. Ab his alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur; in quibus nu-